


# IV. DĒ EQUŌ


## A. Intrōductiō

- 1 Equus est animal quattuor crūribus, longō collō, et magnā vi.  
equus, ī, m
- 2 Equī possunt vĕlōciter currere et magna onera portāre. Homi-
- 3 nēs equōs agēbant ad itinera faciēda. Equōs quoque agēbant
- 4 ad currūs certandōs et bella gerēda.
- 5 Equī in agrīs habitant et in stabulīs tenentur. Gerunt soleās in
- 6 unguīs suīs.



frēnum, ī, n.

habēna, ae, f.



caput, capitis, n.

iuba, iubae, f.

tergum, ī, n.

collum, ī, n.

crūs, crūris, n.

cauda, ae, f.

vellus, velleris, n.

ungula, ae, f.

## B. Duo Equī: Frātrēs Dissimilēs (Aesōpus)

Aesōpus in variīs fābulīs dē equīs scrīpsit. In hāc fābulā dēscrībit duōs equōs quī, quamvīs pariter nātī, aliter crēvērunt.

1 Equisō equōs duōs coēmerat, eādē mātē nātōs, vīribus fir-  
2 mīs praeditōs et formā corporis ēlegantī. Hōs ēducāre coepit.  
3 Alter quidem sē praebuit ad cūncta eius praecepta docilem. At  
4 alter, obstinātus, indole asperā, dominum refūtat: ōs dūrum,  
5 caput mōbilius, cervix rigidior, nūlla celeritās pedum, crūrum  
6 mollitia nūlla; quōmodo gūrōs variāre disceret, vel tolūtīm in-  
7 cēdere? Equisō ergō hunc vendidit mūliōnī.

8 Post longum tempus, cum ambō forte in pūblicī hospitis do-  
9 mum simul dēvenīrent, hic horridus et sarcinās gravēs gerēns  
10 adspicit frātre[m], alacrem, nitentem et *equite nōbili* superbum,  
11 *pondere glōriōsō*. Salūtat et tristis requirit unde vītam tam  
12 disparem agant, cum simili locō uterque prōgnātus sit. Ille  
13 respondet, “Frāter, omne bonum quod in mē inesse vidēs,  
14 ēducātiō bene collocāta fēcit.”

## C. Quattuor Equitēs Apocalypsis (Sanctus Iōannēs, Apocalypsis 6:1–8)

Iōannēs (A.D. 6–100), apostolus Iēsū Chrīstī, librum Apocalypsis scrīpsit in exiliō in īsulā Patmō. Hic liber finem mundī et secundum adventum Chrīstī dēscrībit. In suā vīsiōne, Iōannēs Agnum et quattuor animālia (leōnem, bovem, hominem, et aquilam) vīdit, quae finem mundī praecipitant in sigillīs volūminis aperiendīs. Cum utrumque sigillum apertum est, equus cuiusdam colōris appāret quī quoddam malum prōfert.

1 Et vīdī quod aperuisset Agnus ūnum dē septem sigillis, et au-  
2 dīvī ūnum dē quattuor animālibus, dīcēns tamquam vōcem  
3 tonitruī: “Venī, et vidē.” Et vīdī: et ecce equus albus, et quī  
4 sedēbat super illum, habēbat arcum, et data est eī corōna, et  
5 exīvit vincēns ut vinceret. Et cum aperuisset sigillum secun-  
6 dum, audīvī secundum animal, dīcēns: “Venī, et vidē.” Et  
7 exīvit alius equus rūfus: et quī sedēbat super illum, datum est  
8 eī ut sūmeret pācem dē terrā, et ut invicem sē interficiant, et  
9 datus est eī gladius magnus.

10 Et cum aperuisset sigillum tertium, audivi tertium animal,  
11 dicens: “Veni, et vide.” Et ecce equus niger: et qui sedebat su-  
12 per illum, habebat stateram in manu sua. Et audivi tamquam  
13 vocem in medio quattuor animalium dicentium: “Bilibris tri-  
14 tici denario et tres bilibrēs hordei denario, et vinum et oleum  
15 nē laeseris.” Et cum aperuisset sigillum quartum, audivi vo-  
16 cem quarti animalis dicentis: “Veni, et vide.” Et ecce equus pal-  
17 lidus: et qui sedebat super eum, nomen illi Mors, et infernus  
18 sequeretur eum, et data est illi potestas super quattuor partes  
19 terrae, interficere gladio, fame, et morte, et bestiis terrae.

## D. Comitissa Godīva et Thōmās Prōspiciēns (Thōmās Seward)

Thōmās Seward (A.D. 1708–1790) fuit vir litterārius et clēricus Anglicānus. Scrīpsit hanc fābulam in epistulā ad Andrēam Mariū Chappō. In Latīnitāte recentiorī, nārrat fābulam Comitissae Godīvae, uxōris pīncipis quae audāx iter subīvit et stultum spectātōrem attrāxit.



1 Annō millēsīmō quadrāgēsīmō tertiō, fundātum est coeno-  
2 bium Coventriēse per Leofricum, comitem Merciae poten-  
3 tissimum dītissimumque, atavis forsan rēgibus Merciae ēdi-  
4 tum. Maior autem honōs coniugī eius Godivae attribuitur,  
5 pulcherrimae, castissimae, et monachōrum ordinibus dēvōtis-  
6 simae. Illa importūnē coniugem diū sollicitāverat ut coeno-  
7 bium hoc fundāret, et nūndinārum vectīgālia cīvibus dōnāret.

8 Cui ioculāriter ille, “Hāc lēge tibi adstringō fidem, ut faciam  
9 id quod petis, cum tū, mea suāvissima, per compita pūblica  
10 Coventriae nūda equitāveris.” Illa, tantum religiō potuit, as-  
11 sentitur; et solūtis crīnibus perlongīs adumbrāta, et quasi ves-  
12 tīta, cīvibusque omnibus interdictīs fenestrās appropinquāre,  
13 iter iniit.

14 Ūnus Actaeōn, comitissae stabulārius, ausus est mandātum  
15 violāre. Comitissae equus, fautōrem suum per fenestram cer-  
16 nēns, hinnitum tollit et nebulōnem prōdit.

17 Cuius effigiēs lignea per fenestram perantīquae domūs (eius-  
18 dem, ut aiunt, aut saltem in eōdem locō positae) caput perpe-  
19 tuō prōtrūdit, et mōnstrātur digitis praetereuntium. Solemnī  
20 īnsuper pompā magistrātuum, et cīvium omnium, in honō-  
21 rem mūnificentissimae patrōnae Godīvae, vīsītatur hoc lūdi-  
22 crum terriculum; et, quasi vīvum, dērisiōne, cachinnīs, et  
23 scommatibus vulgus īsectātur, et speculātor quisque intem-  
24 pestivus et ineptus etiam nunc vocātur ‘Peeping Tom.’

## E. Dē Equō Troiānō (Carolus Ruaeus)

Fortasse haec est nōtissima fābula Vergiliī *Aenēidis*: dē equō Troiānō et ruīnā Troiae. Haec lēctiō, ē līneīs 1–53 librī secundī *Aenēidis* composita, est p̄ncipium illīus fābulae, quam Aenēās Dīdōnī et aliīs Pūnicīs nārrābat: Troiānī, exeuntēs Troiā, vident magnum ligneum equum. Dēceptī, et admonitiōnēs negligentēs, hunc dolum in urbem important et suam ruīnam īferunt.

Dē Carolō Ruaeō, vidē p. 29.

1 Ducēs Graecōrum, afflictī bellō, et fātis repulsī ab expugnā-  
2 tiōne urbis, tot annīs iam ēlāpsīs, faciunt equum, in modum  
3 montis, dīvinō cōsiliō Minervae, et struunt costās ex abiete  
4 scissā. Fingunt esse vōtum prō reditū: spargitur is rūmor. Ad  
5 eam rem sortitī ēlecta corpora mīlitum, ea clam occultant in  
6 obscurīs lateribus, et magnās cavernās atque uterum profundē  
7 implent armātis mīlitibus. Est in cōspectū Tenedos īnsula,  
8 fāmā nōtissima; abundāns opibus, dum rēgnum Priamī stā-  
9 -bat: nunc sōlum est sinus et statio parum tūta nāvibus. Illūc  
10 ēlāpsī occultant sē dēsertō in litore.

11 Nōs putāvimus eōs discessisse, et ventis propitiis Mycēnās re-  
12 petisse. Itaque Troia omnis liberat sē diūturnō angōre: ape-  
13 riuntur portae: dulce est exīre, et cernere castra Graeca, et  
14 vacua spatia, et litus dērelictum. Hic turmae Dolopum, hic  
15 crūdēlis Achillēs habēbat tentōria, haec erat statiō nāvium: hic  
16 exercitūs solēbant pugnāre. Pars stupet mūnus exitiāle oblā-  
17 tum innūptae Palladi, et admirātur magnitudinem equī.

18 Et p̄rimus Thymoetēs suādet ut admittātur intrā mūrōs, et  
19 statuātur in arce; seu fraude, seu iam fāta Troiae ita volēbant.  
20 At Capys, et quōrum animō prūdentior inerat sēnsus, suādent  
21 ut abiiciant dolōs Graecōrum et mūnera suscepta in mare, aut  
22 combūrant suppositis ignibus; aut fodiant et explōrent cavās  
23 latebrās alvī. Plēbs ambigua distrahitur in opposita cōnsilia.  
24 Tunc prior cōram omnibus Lāocoōn, magnā turba sequente,  
25 dēcurrit celer dē summā arce et procul clāmat:

26        Ō miserī cīvēs, quae tanta est stultitia? An putātis  
27        hostēs profectōs? Aut existimātis ūlla Graecōrum  
28        mūnera carēre fraudibus? Sic Ulixēs cognitus est  
29        vōbīs? Aut Graeci clausi hōc lignō latent; aut haec  
30        māchina strūcta est contrā nostra moenia, ad ex-  
31        plōrandum domōs, et ex altō ad invādendum ur-  
32        bem; aut aliquis alius latet dolus. Troiānī, nē fidite  
33        huic equō; quodcumque istud est, metuō Graecōs,  
34        etiam dum mūnera dant.

35 Cum haec dixisset, immisit tōtis vīribus magnam hastam in  
36 latus, et in uterum equī iūctūrīs curvātum. Haesit illa tre-  
37 mēns, et percussō uterō, cava spatia sonuērunt et ēmisērunt  
38 gemitum.



## F. Dē Equō Troiānō (Vergilius, *Aenēis* 2.41–53)

Ecce, vēra Vergiliī verba! Lege Latīnē in metrō poētīcō.

- 1 Primus ibi ante omnēs, magnā comitante catervā,
- 2 Lāocoōn ārdēns summā dēcurrit ab arce,
- 3 et procul ‘Ō *miserī*, quae tanta insānia, *cīvēs*?
- 4 Crēditis āvectōs hostēs? Aut ūlla putātis
- 5 dōna carēre dolis Danaum? Sic nōtus Ulixēs?
- 6 Aut hōc inlūsi lignō occultantur *Achivī*,
- 7 aut haec in *nostrōs* fabricāta est māchina *mūrōs*,
- 8 inspectūra domōs ventūraque dēs super urbī,
- 9 aut aliquis latet error; equō nē crēdite, Teucrī.
- 10 Quidquid id est, timeō *Danaōs* et dōna *ferentēs*.’

11 Sic fātus *validis* ingentem *vīribus* hastam  
12 in latus inque ferī *curvam* compāgibus *alvum*  
13 contorsit. Stetit illa tremēns, uterōque recussō  
14 īsonuēre *cavae* gemitumque dedēre *cavernae*.